



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne
Petro Maffeio, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex
auctoritate superiorum.||**

Maffei, Giovanni Pietro

Köln, 1585

VD16 M 110

Quæda[m] de Ignatio mira. Cap. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

ficationem, idem Gregorius XIII. pro sua præcipua in eas nationes clementia & voluntate vehementer incubuit. Nec Germanicæ modo, sed ceterarum quoque gentium pueros & adolescentes Ignatius, pijs ac liberalibus disciplinis imbuendos (quam vnam expeditissimam emendandi generis humani rationem ducebat esse) per se suosq; admonitu planè diuino suscepit. atq; ob id ipsum, gymnasia, quibus æquè infirmi ac summi gratis erudirentur, non Romæ solùm, sed etiam toto pœnè terrarum orbe constituit, summa adhibita cura, vt ne quid professores nostri, quamuis acutum & plausibile afferrent peregrini vel noui dogmatis, nedum ab orthodoxa fide abhorrentis; verum in singulis quæstionibus celeberrima quæque & probatissima doctorum placita sequerentur.

Quædam de Ignatio mira.

Cap. XIV.

PRæter ea, quæ superioribus libris Ignatio diuinitus accidisse retulimus, non pauca de eodem admirabi-

X 5 lia

lia prædicantur: quorum aliqua nobis hoc loco exponere visū est. Recenti conuersione, Hierosolymam petens, dum Barcinone transmissionem expectat, interea diuinam rem, sacras conciones, & alia religionis officia quàm accuratissime obire non destitit. Accidit autem aliquando, vt cum in templo verbum Dei audiret, conspicata hominem femina princeps, peregrini habitu faci plebis immistum; videre sibi visa sit eius caput ac faciem eximio quodam fulgore splendentē, idque tanta sua cum animi voluptate, vt quamquam inuita ac repugnās modestiæ causa, tamen ab eo aspectu oculos nulla ratione posset auertere. Igitur concione dimissa, nihil ei fuit antiquius, quàm vt mariti permissu, peregrinum per idoneos homines oppido conquistum hospitio acciperet. qui domum ingressus, percunctantibus illis, quis aut cuias esset; peregrinari se Hierosolymam dixit, neque de se ipso verbum vltra addidit: verūenimvero sermonem de rebus diuinis instituens, omnes qui aderant, cælesti quodam

dam solatio lætitiāq; perfudit. Qua re vehementius etiam permoti, operam dedere, vt nobilis quidam vir, ipforū propinquus, in Italiam traiecturus, vna cum Ignatio conscenderet, rati, nauigium vtique tali vectore perire non posse; neque eos fefellit opinio: siquidem alia nauis, cū meodē fere tempore vela fecisset; non longe à portu vi tempestatis absorpta est: at vero qua Ignatius vehebatur, celerrimo cursu Caictā incolumis tenuit. Post reuersionē vero, dū Barcinone, vt initio dictum est, Grāmaticę rudimētis operā dat, res accidit ad viri sanctitatē illustrādā haud leuis momēti. In parœcia beatę Marię, cui à Mari cognomen est, ad plateam Lullianam, Lyssani duo fratres de patrimonio diutius litigauerant. Ac denique à iudicibus lata sententia, is qui causa ceciderat, præ nimio dolore ad vltimam desperationem redactus, impulsu dæmonis è cubiculi trabe laqueo se suspendit: ea re cognita vicini ad tætrum illud spectaculum confluent, mirantes hominis facinus, miserantes insaniam. Id simul atq; Ignatius audiuit,

audiuit,

audiuit, confestim aduolat, pendentem ex infelici tigillo restem præcidit, hominem vel cadauer potius collocari iubet in lectulo. deinde seorsum nixus genibus pro salute ipsius Deum orare non sine lacrymis institit. Res mira. deprecate Ignatio, cunctis qui aderant in lectulum obuersis, & expectatione suspensis, miser ille repente sustulit oculos, vocisque usum eatenus duntaxat recepit, quoad vocato celeriter in id sacerdoti peccata ritè confessus est, ac demum expiatus, animam è Tartari faucibus ereptā Domino reddidit. cuius rei fama totam urbem, finesq; illos magna cum omnium admiratione peruasit; & supersunt hodie, quæ meminerint, à quibus ego id ipsum Barcinone diligenter quæsiui. Ac multò post, Romæ constituta iam Societate aliud nō minus mirum Ignatio contigit. Cum Alexandro Petronio, cuius ante meminimus, & medico & philosopho insigni, magnum usum amicitiamq; contraxerat. Ad eum ægrotum aliquando vicissim ipse, visendi causa cum adisset, quanquam alieno tū tempore,

pore, tamen pro familiaritate à domesticis introductus, oclusis fenestris in lectulo quiescentem inuenit. & ex tenebris ratus hominem sopori sese dedisse, suspenso vestigio tacitus adrepens, puluino sensim assedit, ac nihilominus Alexander è somno excitatus, & repente Felicitatem vxorem inclamans: Quis nouus hic splendor, quæ tanta, inquit, lux cubiculum complet? At illa simpliciter, id quod erat, vnum Ignatium introisse respondit. Tum Alexander, homo grauis & prudēs, non dubio argumento viri sanctitatem interpretatus, ex eo die Ignatium tamquam humano fastigio celsiorem, magis magisque suspexit: totamque deinde rem ipse mihi alijsque serio exposuit. Parisijs, Michael quidam Hispanus, quem Romæ deinde falsæ criminatio- nis ministrum in patres fuisse dixim⁹, impatienter ferens, patronum suum Franciscum Xauerium è medio honorum cursu ad studiū humilitatis Christianæ traductum fuisse, ira percitus, Ignatium, vt pote eius rei auctorem, interficere omnino constituit: cumq;

in

in hospitium ipsius ultro inuasisset, strictoque iam gladio scalas furibundus ascenderet, diuina repente voce perterritus: Quo tendis infelix? retulit gradum, totaque rem conscientia victus postmodum ipse confessus est. Anno à Virginis partu M. D. L. IV. Rodulphi Pij Cardinalis opera, Societatis collegium ad Lauretanam aedem institutum est: acciditque, ut domus nostris ad habitandum attributa, lemurum terroribus, & faunorum ludibrijs admodum esset infesta. cumque noctu praefertim, modò hi, modò illi detractis è cubili stragulis, vel insolito quodam cachinno excitati per caecas tenebras trepidaret; ad eam pestem auertendam multa nequidquam experti, denique per epistolam ad sacrificia & preces Ignatij, tamquam ad sacram anchoram communi consensu confugiunt. Ille recognita, Deum attente precatus, rescripsit socijs, bono essent animo, ac diuino praesidio freti (quod in tali re fecerat ipse non semel) daemonum terribilia nihil ducerent. Mirum dictu. recitatis litteris omnes confestim ea molestia spectrisque non modo in praesens,

fens, verumetiam in posterum liberati sunt. Cùm Ignatij defuncti corp^o exsequiarum causa iaceret in feretro, Bernardina quædã Romana, filiã diuturno morbo laborantẽ, quam arte nulla medici sanare valuerant, ad osculãdas mortui manus admouere vehemẽter optabat: certã ex eo contactu, filiã valetudinem sibi pollicita: sed cum præturba, impetu sæpe capto puella nunquam ad feretrum accedere potuisset, deniq; mater', quippè quã filiã caritas valentiorẽ audaciorẽq; reddebat, nõ ante destitit, quàm ex Ignatij vestimẽtis frustulum abscidit. id frustulum virginis collo simul atq. alligatum est, tãquam præsentis numinis ope morbus evanuit: cuius miraculi rumor cunctis, vt par est, admirantibus longe lateq; manavit. Ac ne prophetiã quidem insigni dono caruisse putandus Ignatius est, si quidẽ aliqua partim abdita aperuit, partim longè à conspectu remota monstravit; partim etiam multo post futura, sine vlllo errore prædixit. In ijs qui Barcinone Ignatium maximè coluere, ac præcipuum ex eius cõsuetudine

dine & monitis fructum vtilitatemq;
cepere, vidua quaedam fuit nomine Ag-
nes, è Paschala familia. hæc cum cetera
caritate Ignatium adiuuit, eiusq; suste-
tauit inopiam, tum Parisios proficif-
centem, ad vsq; templum sancti An-
dreæ tria millia ab vrbe passuū, officij
causa persecuta est, vna cum Ioanne fi-
lio, optima spe, summæ virtutis ac pie-
tatis adolescentulo. Hunc in digressu
cum oscularetur Ignatius, eiq; præcep-
ta in reliquam vitā paterna daret: Cur,
inquit ille, cum alij abs te exculti, tuis-
que monitis incitati, vel Christi confi-
lia sint sequuti; vel certe in virtute ma-
gnos progressus effecerint, me vnū, pa-
rens optime, rudē informemq; destitu-
is? Quid misero mihi te absente futurū
est? Atqui bono animo esto fili, respō-
dit Ignatius, nequaquā tibi deerit exer-
cendæ patientiæ, deque Deo bene me-
rendi materies. namq; vbi adoleueris,
vxorem duces, multisq; incommodis
afflictaberis, que te solui delicijs, & in
auxilio diuino implorādo torpere mi-
nime patiētur. Neq; abfuit dicto fides.
si quidē post aliquot annos ille cōtra-
cto

cto matrimonio multos suscepit liberos; cūq; haud ita diues esset, debitorū fraude, quibus non exiguam pecuniæ summā crediderat, rei familiaris naufragium fecit, hodieq; confecta iam ætate senex, seque familiamq; suā quotidianis laboribus ægre sustentat. Eius deinde Agnetis mortem Barcinone sanctissime obitam, Romæ Dei monitu præsensit Ignatius, vt litteræ Antonij Araozij, qui moriēti viduę affuerat, nihil ei super illa re noui postmodum attulerint. Petro Fabro defuncto, quem sibi propter egregias viri virtutes, successorem, animo & spe destinauerat, aperte vaticinatus est, se decem ipsos annos ei superstitem fore; neque fefellit euentus: quippè Faber sæculi huius anno sexto & quadragesimo, Kalendis Sextilibus; Ignatius (vt dictum est) ipso quinquagesimo sexto, pridie Kalen. decessit. Quidam haud ita pridem in Societate versatus, cum ex imposito sibi munere tanta molestia afficeretur, vt somnum capere vix posset, ac de repetendo sæculo cogitaret, Ignatius rem diuinitus odoratus, adolescē-

Z tem

tem nocte intempeſta è lectulo vocari ad ſe iuſſit, alioqui fratrum neceſſitatibus mirum in modũ parcere ſolitus. Is cum animo valde perturbato veniſſet; ficta perſona quaſiuit ex eodem Ignatius, ſi quis hac vel illa tentatione ſolicitaretur, quidnam ei conſilij daturus eſſet? ac per eam ſermocinationem omnes illi obſtupeſcenti ſenſim eius animi reſceſſus ac latebras patefecit ſimul, & perturbationes admirabili dexteritate ſedauit. eodemq; caritatis officio erga alios quoq; multos pari perſpicacitate perſuaduit eſt, qui cum ſuos morbos propter inſcitiam aperire non poſſent, vltro ijs ipſemet antè medicinam, & genus egritudinis, & cauſas detegebat. Vicetia, Fabro & Lainè comitibus, dum ex voto finem anni vertentis exſpectat, ceteris item Patribus ob id ipſum Veneta ditione diſperſis, repẽte aſſertur, Simonem Rodericũ, Baſſiani, grauiſſima febrì correptũ in extremo verſari vitæ discrimine. quo nuntio percuſſus Ignatius, licet ipſe quoq; febricula teneretur, tamẽ illi cõſurgit, ac Iacobi Lainis, qui grauius labo-

laborabat, cura pijs hominibus demā-
ta, sequēte Fabro se pedes in viā dat, eo
demq; die passuū octodecim fere mil-
lia confecit, ea quidē celeritate vt præ-
cedentem vix Faber consequi posset.
Cumq; ex itinere, de Simone sollicitus,
orādi causa paululum è semita diuer-
tisset, supplicatione peracta, sensit audi-
tas preces: atq; ad Fabrum rediens, pro-
certo affirmavit, Simonem è morbo e-
uasurum. ad quem vt venit, arte com-
plexus hominē, læta omnia sperare, &
certam sanitatē exspectare iussit. Nec
sane frustra: quando quidē Simon pau-
lò post, contra omniū opinionē pristi-
næ valetudini redditus est; atq; id be-
neficium hodieq; secundū Deū Igna-
tio sese acceptū referre testatur. Haud
lōge à Bassani mœnibus loco edito tē-
plum cernitur beati martyris Viti, ex
quo in subiectam conuallem despe-
ctus est cū cætero cultu visendam,
tum crebris aquarum è Medoaco am-
ne deriuationibus. Id templum eo tē-
pore tuebatur solitarius quidam, An-
tonius nomine, vir doctrinarum ex-
pers, & idiota quidem ille, veruntamē

seuerus, & grauis, & ipso totius corporis atq; oris habitu venerabilis, ac proinde apud illas gentes magna virtutis & sanctitatis opinione. Is Ignatium nihil infigne præferentem, elato supercilio (vt ipse postea fatebatur) contemnere apud se cœpit, ac parui facere, quoad intentius aliquando supplicanti demonstrare dignatus est Dominus, qui vir & quātus esset Ignatius, quàmque multorū adiumento & salutis diuina prouidētia destinatus. ex quo suam ille temeritatem dolenter accusans, Ignatium studiose dein colere atq; obseruare instituit. Per eosdem fortè dies quidā ex Ignatij socijs, partim anachoretę cōsuetudine, partim etiā ipsius loci amœnitate captus, ita cogitare cœpit apud se: Hem, Ignatij comites, vexatis tanto labore, tanta rerum omnium difficultate corporibus, de animorum insuper salute periclitamur. raro, quā extulimus domo, mentem spiritumq; referimus: nimium pulueris sordiumque campestri hoc opere & exercitatione colligimus. ac cæteris quidem maior forsan gratiæ diuinæ fiducia, plus viri-

virium fuerit ad obuia quæque superāda: mihi vero meæ infirmitatis præclare conscio, nōne cōducatur, procul negotijs tumultibusq; cælestem in terris vitam vna cum hoc sancto eremico cultore tanfigere? & abiectis multiplicibus curis vni Deo vacare? Hæc apud se idētidem reputanti, occurfabant ex altera parte, Ignatij caritas, dulcedo sociorum, cœpta communia, datæ dexteræ, & deserendi nefas. Eiusmodi cogitationum æstibus cum aliquādiu fluctuasset; denique consultandi causa ad anachoretam ipsum adire constituit. sed nequaquā cessit illi res è sentētia. quippe vixdum extra oppidū extulerat pedem, cum ei vni spectrum est obiectū, armatus vir, trucibus oculis, stricto gladio minitans. Exterruit primo ea species hominē: dein impetu capto cū nihil ominis pergeret; iratus ille ac furens in obuium irruere visus. Tum verò peregrinus haud dubie terga dat, ac sine respectu in oppidum auolat, mirantibus incolis, quòd tam effuse fugiētem aspicerent, nemine persequente. At ille à præcipiti cursu non ante destitit,

Z 3 quàm

quàm in ipsius Ignatij diuersorium
sefe cum inlana trepidatione cõiecit.
cui renidens Pater (totam quippe rem
Deo reuelante cognorat) Siccine titu-
bas? inquit. Modicæ fidei, quare dubita-
sti? Qua ille interrogatione, & in præ-
sentia valde compunctus, & in poste-
rum ne ab instituto deficeret, magno-
pere confirmatus est. Cum Ioãnes Co-
durius, è primis Patribus vnus, è graui
morbo in vltimū vitæ periculum esset
adductus: ad rem diuinam pro socij sa-
lute faciendam Ignatius ædem S. Petri
in Monte aureo petiit: cuius & loci, &
Apostoli, vt supra diximus, præcipua
quadam religione tenebatur. cum ad
medium fere peruenisset pōtem Iani-
culēsem, qui Sixti pons hodie dicitur;
sublatis intentisq; repente in cœlum
oculis, retulit pedem attonito similis:
ac deinde conuersus ad comitem (ise-
rat Baptista Viola Parmensis, ex quo
hæc ipsa cognoui) Domum redeamus,
inquit: Codurius noster migravit è cor-
pore. Creditus est Ignatius ex illo stu-
pore, & siderum intuitu, & repentina
reuerfione, vt olim Hozij, sicutum Co-
durij

durij animam vidisse cœlum intrantē:
licet iustis fortasse de causis de hoc ce-
lauerit, quod iustas item ob causas de
illo non reticuerat. nam & idipsum a-
lius aspexisse ferebatur, & ex horarum
ratione compertum est, eo ipso tem-
poris momento Codurium expiraf-
se: & alioqui non fuit, cur amicissi-
mi viri cognito excessu, domū exem-
plò reuerteretur, vel ad piaculare sacrū
eius causa de more faciendū, recta per-
gere omitteret. Id autem accidit anno
post Virginis partum M.D.XLI. quar-
to Kal. Septembris. Eodem fere loco
deinde quiddam aliud accidit non ab-
simile. Cum Stephanus Baroelius No-
uocomensis, qui vixit adhuc, periculo-
so morbo implicitus teneretur, & eun-
ctis de illius vita sollicitis, Ignatius pro
viri valetudine in eadem illa quam di-
ximus æde sancti Petri in Mōte aureo
perlitasset, in reditu comitem læto vul-
tu compellans (is fuit Petrus Ribade-
neria Toletanus, qui hæc ipsa manda-
uit literis) non moriturum ex eo qui-
dem morbo Stephanū, constanter asse-
ueravit. nec vana fuit prædictio: si qui-

dem haud ita multò post, egrotus non sine magna omnium admiratione cōualuit. Cū Patavij, nostris ad gymnasium & reliqua Societatis munera, sanctæ Mariæ Magdalenaë templū, & eius tēpli vectigalia tribuisset Andreas Lipomanus egregia pietate vir; cuius mentionem antea fecimus; de adeunda loci possessione graue certamen à nobilissimis viris iniectum est. Venetijs tū Laines & Salmeron Societatis causam agebant. ij ad rem perficiendam omniconatu nequidquam adhibito, cū aduersariorum potentia valde premerentur, ac poenè ab incepto desistere decreuissent: postremo (quod vnum reliquum videbatur esse perfugium) per litteras totam rem Ignatio cōmendāt. Ille, cum quinta circiter feria litteras accepisset, postridie (qui dies erat natalis Deiparaë Virginis) re diuina peracta, respōdit, Christi causam ne desererēt; eodem adiuuante, voti compotes fore. nec vana fuere promissa: quippe, re in Senatu diu multumq; agitata, denique possessio nostris adiudicata est cūctis ferme suffragijs: atq; à peritis rerū
æstima-

æstimatoribus non leue miraculū est habitum, in eiusmodi ciuitate, à duob⁹ ignotis & peregrinis hominibus, clarifsimorū ciuium opes & gratiam superatam fuisse, Paulo IV. Pōtifice Maximo, cum inter bellicos tumultus vir quidā princeps, qui nuper est mortuus, Collegij Germanici tutelā ac patrocinium, oneris & impendij grauitate defatigatus, abijcere cogitaret; idemque auctor esset Ignatio, vt, ne in re iam desperata ac pœnè collapsa, diutius operā & oleum perderet; sanè fortiter Ignatius illi respondit, Faceret ipse quod vellet; se quidē, quoad viueret, eam procuratiōnē numquam esse depositurum. neq; vero dubitare se, quin tam præclare inchoatum opus diuina prouidentia cōseruatura esset; ac datura aliquando Pastorē, qui non modo necessarijs, verū etiam copiosis ad victum cultumq; vctigalibus id Collegium instrueret. Per eadem fere tempora vir quidam pecuniosus, tēpli nostri miseratus angustias ædem nobis ædificare voluit laxiorē. sed cum is descriptionē quamdam suā sequeretur, cum dignitate quidem illā

& elegantia, verumtamē ad religionis nostræ vsus parum idoneam; Ignatius piam viri voluntatē utiq; accepit, egitque, vt debuit gratias, rem vero ipsam animo fidenti reiecit, quòd sibi cōper- tum esse diceret, non defuturum olim, qui templum nostris muneribus accō- modatum exstrueret. Quarum duarū præsensionum alteram Gregorij XIII. Pontificis Maximi summa, vt dictum est, pietas atque benignitas, alterā Ale- xandri Farnesij Cardinalis amplissimi eximia religio, & regia planè magnifi- centia cōprobavit. Alia item de Igna- tio miranda narrantur: quæ quia mihi haud satis explorata sunt, necesse non habui adscribere. præsertim quòd cla- rorū hominum sanctitas, non tam si- gnis atque miraculis, quàm caritate in Deum, & vitæ innocentia continetur.

Eiusdem forma, & statura corporis.

Cap. XV.

STatura fuit modica, grato & pleno dignitatis aspectu; colore inter albū & aquilum, exporrecta lataq; fronte, vivacibus oculis, oblongo & incurvo
na-